DE

VERSIBVS SPVRIIS APVD AESCHYLVM
DISSERTATIO

SCRIPTA

CREATIONI

XI. PHILOS. DOCTORVM ET LL. AA. MAG.

RECTORE MAGNIFICO

CAROLO GOTTLOB KÜHNIO

CHIRVRGIAE P. P. O. FACVLTATIS MEDICAE ADSESSORE
COLLEGII PRINCIPVM MINORIS SENIORE OECONOMICAE
SOCIETATIS SCIENTIARVM IABLONOVIANAE
PRAESIDE ETC.

PROCANCELLARIO

DECANOQVE

GODOFREDO HERMANNO

ELOQ. ET POET. P. P. O. COLLEGII MIN. PRINC. SOCIO
ACAD. ROMAN. ARCHAEOL. SOCIETT. REG. BAVAR.
MONAC. ET NANTIENSIS AC LAT. IENENS.
SODALI

D. XXIV. FEBR. cIↄIↄcccxiv.

C. Schaedel.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

1814.

Ars critica ita exerceri a plerisque ſolet, ut, quoniam omnis eius vis in iudicandi ſollertia expromitur, nullam eius eſſe diſciplinam exiſtimare videantur. Quae res facit, ut, dum vel ſenſum quisque ſuum vel opinionem aliquam aut conſuetudinem ſequitur, non ubique iuſta et apta medendi ratio adhibeatur. At huius quoque artis ratio quaedam eſt ac diſciplina, quae et modos emendandi explicat, et ubi ſingulis horum modorum utendum ſit, praecipit, et quousque eorum uſus pateat, docet. Quae omnia quo maius ſaepe in emendando momentum habent, tanto magis optandum eſt, ut exſiſtat, qui omnem huius artis rationem accuratius, quam adhuc factum eſt, explanet: praeſertim quum interdum etiam primarios viros in hoc genere errare videamus. Nam quum nulla emendandi ratio per ſe ipſa ſpernenda ſit, tamen translata, quo non debet, vel modum, qui quoque loco tenendus eſt, egrediens, obſit potius, quam proſit, neceſſe eſt. Monebo, data ſcribendi opportunitate, iuvenes litterarum ſtudioſos de illa tantum ratione, quae indagandis ſpuriis continetur: in qua quidam ita ſibi placuerunt, ut vix quidquam adverſus eorum ſuſpiciones ſatis munitum fuerit. Sunt autem genera additamentorum, quibus ſcripta veterum deformata ſunt, plura. Nam modo interpretationes vocabulorum, quae gloſſemata vocantur, modo enarrationes ſententiarum, modo locos ſimiles adiectos videmus: praetereaque interdum traiectum eſt aliquid eo, quo non debebat, vel caſu etiam, a quo nihil tutum eſt, illatum. Verum bene tenendum eſt, haec non aeque omnia in quovis ſcriptore obvia eſſe, sed quae horum non errori debentur, in his fere

scriptoribus inveniri, qui quum multum lectitarentur, largam etiam adnotandi opportunitatem praebebant. Quare ut in his attenti esse debemus, ne quid alienum nos lateat, ita in iis, qui minorem experti sunt lectorum assiduitatem, cavendum, ne in suspicionem vocemus, quae genuina sunt. Vtar exemplo Aeschyli. Hic quum aliquanto minus, quam Euripides, in scholis grammaticorum tractatus fuerit, consentaneum est; etiam paucioribus eum vel adnotationibus, vel interpolationibus, vel insititiis versibus esse corruptum. Ex quo intelligi potest, non satis caute fecisse, qui plurimos huius poetae versus ut spurios damnarunt. Nam ut semel iterumve alienus apud eum versus reperiatur, veluti in Persis post v. 253. libri quidam Sophoclis versum inserunt,

στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν,

quem in censum veniunt in eadem fabula etiam v. 780. et in Sept. ad Th. v. 607. at plerisque in locis, qui maxime spurii visi sunt versus, non nisi aut interpretatione iusta, aut apta emendatione, aut restitutione in locum suum indigent, ut maxime genuinos esse appareat. Quin quum saepius apud Aeschylum omittendo, quam addendo peccatum sit, est etiam, ubi hiatum non solum animadvertere, sed etiam explere possis, inserendis, qui neglecti ab librariis fuerunt, versibus. Placet singula horum uno alterove exemplo confirmare.

Agamemnonis hoc est initium:

θεοὺς μὲν αἰτῶ τῶνδ' ἀπαλλαγὴν πόνων
φρουρᾶς ἐτείας μῆκος, ἣν κοιμώμενος
στέγαις Ἀτρειδῶν ἄγκαθεν, κυνὸς δίκην,
ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν,
καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς
λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι
ἀστέρας, ὅταν φθίνωσιν, ἀντολάς τε τῶν.

Versum, qui horum ultimus est, ut ineptum, praetereaque Achilli Tatio ignotum, damnarunt Valckenarius ad Eurip. Phoen.

Phoen. 506. Porſonus in Append. ad Toupii Not. in Suid. T. IV. p. 479. aliique, vereor ne iniuria. Nam Achillis Tatii exigua auctoritas eſt, qui et valde corruptus ſit, et paullo ante etiam in alio Aeſchyli loco omittat, quae adiicienda fuiſſe exiſtimes. Verſus autem ipſe tantum abeſt ut ineptus ſit, ut, ſi memineris, uſitata Graecis ratione τὰς Φέροντας χεῖμα καὶ θέρος ἀστέρας, ὅταν Φθίνωσιν dictum eſſe pro ὅταν Φθίνωσιν οἱ χεῖμα καὶ θέρος Φέροντες ἀστέρες, etiam aptiſſimus videatur. Hoc enim dicit ille: *video et coetum ſtellarum, et quando quodque illorum ſiderum, ex quibus anni tempeſtates numeramus, occidit atque oritur.*

In Choephoris Electra manes patris invocans, fratremque ad patrandam caedem exhortans, his verbis utitur v. 506.

ἄκου· ὑπὲρ σοῦ τοιάδ' ἔστ' ὀδύρματα.
αὐτὸς δὲ σώζει τόνδε τιμήσας λόγον.
καὶ μὴν ἀμέμΦητον δέ τινα τὸν λόγον,
τίμημα τύμβου τῆς ἀνοιμώκτου τύχης.
τὰ δ' ἄλλ', ἐπειδὴ δρᾶν κατώρθωσαι Φρενί,
ἔρδοις ἂν ἤδη, δαίμονος πειρώμενος.

Secundum ex his verſibus ſpurium putarat Schützius: quem reprehendens Porſonus in Suppl. praef. ad Eurip. Hec. p. 37. manifeſto ſpurium eſſe contendit ſequentem verſum, omiſſum in cod. Guelf. et ed. Ald. et ei, qui ſequitur, verſui ſubiectum in ed. Rob. At uterque, ſi quidquam apud Aeſchylum, genuinus eſt, modo corrupta recte emendes. Neque enim apparet, unde venerit tale additamentum. Partem veri Seidlerus vidit, legendum putans,

καὶ μὴν ἀμεμΦῆ τόνδ' ἔτεινα τὸν λόγον.

Non tamen perfecit emendationem. Nam particulae καὶ μὴν non aliter hic aptae ſunt, quam ſi alius perſonae orationem incipiant. Atqui quid planius eſt, quam Oreſti Electraeque ſe invicem ad vindicandam patris necem cohortantibus chorum adſtipulari his verbis:

καὶ

καὶ μὴν ἀμεμφῆ τόνδ' ἐτείνατον λόγον,
τίμημα τύμβȣ τῆς ἀνοιμώκτȣ τύχης.

Quae ille quum dixiſſet, reliquis duobus verſibus ad ſolum Oreſten, cuius illud officium erat, ut rem perpetraret, ſe convertit.

Sed diximus ſupra, cavendum etiam eſſe, ne ſpurios putemus eos verſus, qui nihil niſi in alienum locum traiecti ſunt. Ita in eadem fabula haec leguntur v. 162.

ἔχει μὲν ἤδη γαπότȣς χοὰς πατήρ,
κήρυξ μεγίϛη τῶν ἄνω τε καὶ κάτω.
νέȣ δὲ μύθȣ τȣ̃δε κοινωνήσατε.

Advertit, qui medius horum verſuum eſt, Robortellum, ut poſt eum lacunae ſignum poneret. Nec dubium eſt, verſum illum, ſic, ut nunc eſt, reliquis inſertum, adeo ineptum eſſe, ut mirum ſit, qui alias ad eiiciendos verſus promptiſſimi ſunt, hic ad lacunam confugere maluiſſe. Quid enim? Quidquid excidiſſe ſtatuas, num tale erit, ut Mercurii invocationem hic aptam eſſe efficias? Non opinor equidem. Quod ſi ſuperiora conſideraveris, facile, ſpero, adduceris, ut verſum illum, lacerato vel eiusdem paginae ſupremo, vel praecedentis folii imo margine, alienam ſedem occupaſſe tibi perſuadeas. Apertum enim huius rei indicium praebent illa v. 122.

- - - Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τȣ̀ς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς.

Vnde quid aliud colligemus, quam, quo nihil inveniri aptius aut convenientius poteſt, ita proceſſiſſe hanc orationem:

κήρυξ μέγιϛε τῶν ἄνω τε καὶ κάτω,
ἄκȣσον, Ἑρμῆ χθόνιε, κηρύξας ἐμοὶ
τȣ̀ς γῆς ἔνερθε δαίμονας κλύειν ἐμὰς
εὐχάς.

Apparet,

Apparet, verbum *κηρύξας*, quod aliter obſcurum foret, nunc habere quo referatur, praegreſſo nomine *κήρυξ*.

In Agamemnone Caſſandra, ultorem exſtiturum eſſe Agamemnonis ſignificans, his verbis utitur v. 1289.

> *ἥξει γὰρ ἡμῶν ἄλλος αὖ τιμάορος,*
> *μητροκτόνον φίτυμα, ποινάτωρ πατρός,*
> *φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος*
> *κάτεισιν ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.*
> *ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.*
> *τί δῆτ' ἐγὼ κάτοικος ὧδ' ἀναστένω;*
> *ἐπεὶ τὸ πρῶτον εἶδον Ἰλίου πόλιν*
> *πράξασαν, ὡς ἔπραξεν, οἳ δ' εἶχον πόλιν,*
> *οὕτως ἀπαλλάσσουσιν ἐν θεῶν κρίσει,*
> *ἰοῦσα πράξω· τλήσομαι τὸ κατθανεῖν.*
> *ὀμώμοται γαρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας.*
> *Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω.*
> *ἐπεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν,*
> *ὡς ἀσφάδαστος, αἱμάτων εὐθνησίμων*
> *ἀποῤῥυέντων, ὄμμα συμβάλω τόδε.*

Verſum, qui in his quintus eſt, quum non habere, unde penderet, critici animadverterent, *ἄξειν* in *ἄξει* mutarunt. At tam abrupta oratio, praeſertim in ſententia, quam, ſi abeſſet, nemo eſſet deſideraturus, non poteſt non offenſioni eſſe: ut mirer, non fuiſſe, qui eum eiectum mallet. Non minorem, ſi attendas, dubitationem movet undecimus ex his verſibus. Quo ſi Caſſandra illud indicare vult, neceſſario ſibi moriendum eſſe, non modo brevius id atque obſcurius, quam par eſt, ſignificat, ſed etiam gravius de ſe et magnificentius loquitur, quam illa, in qua eſt, animi affectio ferre videtur. Quod ſentiens Schützius primo verſum ut ſpurium damnavit, nuper autem poſt illum, de quo ante dicebamus, poſuit. Mirum vero, praeſtantiſſimum virum, ubi ſemel viderat, alieno loco eum verſum legi, non, quod nobis quidem pridem certiſſimum

viſum

visum erat, eum ante illum versum collocasse: quo facto non modo vulgatam lectionem ἄξειν sinceram esse, sed sententiam quoque aptissimam optimeque nexam restitui apparet:

Φυγὰς δ' ἀλήτης τῆσδε γῆς ἀπόξενος
κάτεισιν, ἄτας τάσδε θριγκώσων φίλοις.
ὀμώμοται γὰρ ὅρκος ἐκ θεῶν μέγας,
ἄξειν νιν ὑπτίασμα κειμένου πατρός.

Exsul, inquit, *atque extorris redibit ille, finem impositurus his malis: magnum enim ab diis dictum est iusiurandum, revocaturam eum esse necem prostrati patris.*

In Persis v. 580. Ita vulgo legebatur: πενθεῖ δ' ἄνδρα δόμος στερηθείς· τοκῆες δ' ἄπαιδες ἔῤῥανται ἐν δάκρυσι, δαιμόνι' ἄχη, ὀά, ὀδυρόμενοι γέροντες· τὸ πᾶν δὴ κλύουσιν ἄλγος. Oratio in his parum concinna; verba aliquanto plura, quam numeri ferre videantur. Et ἐν δάκρυσι quidem multi libri omittunt; esse etiam, qui ἔῤῥανται, quin qui utrumque omittant, Stephanus dicit. Hos iure sequutus editor Glasguensis, sublata post γέροντες interpunctione, orationi concinnitatem restituit. At unde tamen ἔῤῥανται, quod minime videtur interpretis vocabulum esse? Nempe codice, unde ducti sunt libri nostri, duos laterculos (columnas typographi vocant) in singulis paginis habente, strophae et antistrophae pars ita sese contingebant:

ἀντὰς ἀμφὶ Κυχρείας, ὀά, ἔῤῥανται· δαιμόνι' ἄχη, ὀά,
στένε καὶ δακνάζου. δυρόμενοι γέροντες.

Hinc factum, ut ἔῤῥανται, quod in stropha cum verbis στένε καὶ δακνάζου unum versum efficere debebat, antistrophae adiiceretur, quumque explicatione indigeret, adscriberetur ἐν δάκρυσι. Sic, detecta erroris origine, nulla mutatione facta et metra exaequantur, et sensui utroque in loco consulitur, simulque vocabulum poetae suum vindicatur, idque haud parum memorabile propter formam numeri pluralis, iniuria, ut opinor, suspectam Schaefero ad Dionys. Hal. de struct. or. p. 355. et ad schol. Apollon. Rhod. p. 208.

Interdum

Interdum verſus reperiuntur, qui quod explicationis ſpeciem habent, pro inſititiis habiti ſunt. Editor Glasguenſis, quem qui Porſonum eſſe putarunt, non ſatis videntur magni illius viri morem cognitum habuiſſe, in Agamemnone v. 88. ubi haec leguntur,

πάντων δὲ θεῶν τῶν ἀστυνόμων,
ὑπάτων, χθονίων,
τῶν τ' οὐρανίων, τῶν τ' ἀγοραίων,
βωμοὶ δώροισι φλέγονται,

verſum, qui ante ultimum eſt, uncis incluſit, auctore Heathio: quem verſum equidem non minus genuinum eſſe puto, quam quos in eadem fabula, ingenioſe ſane et non ſine ſpecie veri, eaque etiam a metro et antiſtrophicorum lege deſumpta, Seidlerus de verſſ. dochm. p. 408. damnavit, v. 1530.

οὐκ ἀνελεύθερον οἶμαι θάνατον
τῷδε γενέσθαι.

Sed nolo his immorari, quae longiorem disputationem requirunt. Illud miror, editorem Glasguenſem non uncis incluſiſſe haec in Sept. ad Theb. v. 890. οὐκ ἐπὶ φιλίᾳ, ἀλλ' ἐπὶ φόνῳ διεκρίθητε, quae tam manifeſto interpretis verba ſunt, ut non videam, quomodo id ullum latere potuerit criticum. Tametſi nuper priorem verſiculum defendere conatus eſt cenſor editionis Schützianae in Diar. Ienenſ. 1813. menſe Octobri p. 117. Sed hic vir nondum eam, quam velis, cum Aeſchylo videtur familiaritatem contraxiſſe. Glasguenſis quidem editor, ut haec damnare debebat, ita non debebat, Pierſoni motus iudicio, in Eumen. v. 1017. verbo ἐπιδιπλοίζω uncos apponere. Sed ſaepius ille alios, nec ſemper fidos duces ſequitur.

Sed ut addendo peccatum eſt apud Aeſchylum rarius, ita frequentiſſime, multoque ſaepius, quam critici animadverterunt, erratum eſt omittendo. Cuius rei quum plurima poſſim exempla proferre, paucis tantum utar, quae ſunt eiusmodi, ut reponi, quod omiſſum eſt, poſſe videatur.

Mos est tragicorum, versus inter colloquentes personas aequali lege distribuere, nec nisi aut in initio, aut in fine uni personae plures, quam alteri, versus dare. Sed faciunt hoc etiam in medio colloquio, ibi quidem, ubi materia colloquii mutatur, ut quasi novum institui videatur colloquium. Itaque aliquam rationem habet locus in Prometheo v. 623. ubi quum Prometheus et Io singulis versibus alternassent, de Prometheo colloquentes, iam Io, de se sermonem iniectura, duobus versibus Prometheum alloquitur, progredientibus deinde per singulos versus vicibus:

ΙΩ. καὶ πρός γε τούτοις τέρμα τῆς ἐμῆς πλάνης
δεῖξον, τίς ἔσται τῇ ταλαιπώρῳ χρόνος.
ΠΡ. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.
ΙΩ. μήτοι με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.

Sed utcumque haec defendantur, responsio puellae non satis convenire videtur cum eo, quod Prometheus dixerat. Nam quum particula μήτοι concludentis sit, contrarium potius, quam illud, quod dicit, concludere debebat, ut rectius adversativa particula usura fuerit, ἀλλὰ μή με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν. Vide vero miram ad hunc locum scholiastae adnotationem: λέγουσι δὲ ὅτι, ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται. Quae quid aliud, quam facit, ut suspicari debeamus, interpretem istum, quum versum illum in margine adscriptum videret, pro sententia eum nescio cuius habuisse, et proinde, additis verbis λέγουσι δὲ καὶ ὅτι, commentario suo inseruisse. Nam ut taceam, versum illum omnino dignissimum esse Aeschylo, quid vel gravius hoc loco, vel accommodatius ad nexum orationis scribi potuit, quam hoc:

ΠΡ. τὸ μὴ μαθεῖν σοι κρεῖσσον ἢ μαθεῖν τάδε.
ἃ δεῖ γενέσθαι, ταῦτα καὶ γενήσεται.
ΙΩ. μή τοι με κρύψῃς τοῦθ', ὅπερ μέλλω παθεῖν.

Iam enim et recte concludet Io, et duobus huius versibus totidem versibus Prometheus respondebit.

In Agamemnone haec leguntur v. 599.

καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε· Φρυκτώρων διὰ
πεισθεῖσα, Τροίαν νῦν πεπορθῆσθαι δοκεῖς;
ἦ κάρτα πρὸς γυναικός, αἴρεσθαι κέαρ.
λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην·
ὅμως δ' ἔθυον.

Nihil eſt in his, quod deſideretur. Non inepte tamen ſuſpiceris, poetam ſcripſiſſe:

λόγοις τοιούτοις πλαγκτὸς οὖσ' ἐφαινόμην,
πεισθεῖσα τῷ φέροντι θέσκελον φάτιν.

Addit enim hunc verſum ſcriptor Chriſti patientis v. 75. qui, quod ſatis mirum eſt, ſolam ex Aeſchyli fabulis Agamemnonem videtur cognitam habuiſſe.

Poſſem his addere alia. Veluti in Perſis divinari, niſi fallor, locus poteſt, ubi verſus ille exciderit, ex quo ſcholiaſtes Hermogenis, citatus a Baſtio ad Greg. Cor. p. 241. vocabulum ὑπέζυλος affert. Pariterque, quae ex eadem fabula ab Athenaeo p. 85. B. commemorantur corruptiſſima verba, τίς ἀνήρει τὰς νήσους ἀναριτοτρέφους, quorum tamen ultimum recte in codice ſcriptum eſt νηριτοτρόφους, neque ad Phrynichum, neque ad Epicharmum, neque ad alteram Aeſchyli Perſarum editionem pertinere, ſed ex ea ipſa, quam nunc habemus, editione, excidiſſe veri ſimile eſt: quod ubi factum videatur, nunc quidem iis quaerendum relinquam, quibus minus, quam mihi, difficilis videtur huius poeta emendatio. Sed unum tamen ex illa fabula locum attingere placet. Eſt is a v. 537.

πολλαὶ δ' ἁπαλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι, διαμυδαλέοις
δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ' ἄλγους μετέχουσαι.
αἱ δ' ἁβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν
ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν,
λέκτρων τ' εὐνὰς ἁβροχίτωνας,
χλιδανῆς ἥβης τέρψιν ἀφεῖσαι,
πενθοῦσι γόοις ἀκορεστοτάτοις.

 Senſe-

Senſerunt critici, duas hic feminarum claſſes commemorari, quarum ſecunda uxores Perſarum complectitur, prima autem quae ſit, ex verbis poetae tam parum colligi poteſt, ut potius omnes Perſicae mulieres intelligendae videantur: quod tamen repugnat ſequentibus. Itaque Bothius, videns lectionem quorumdam librorum ἀταλαῖς in grandaevas mulieres quadrare, de his, et recte quidem, ſermonem eſſe intellexit: ſed quum, emendare locum volens, πολλαὶ in πολιαὶ mutavit, canos nobis capillos pro canis mulieribus exhibuit. Rectius Schützio viſus eſt verſus excidiſſe. Eamque ſuſpicionem egregie confirmat unus quidem, ſed optimae notae codex, Vitebergenſis, in quo poſt verbum κατερεικόμεναι luculentis litteris additum eſt μαγνάδ, ut pene incredibile ſit, negligi hoc a Zeunio in collatione huius codicis potuiſſe. Haec vero quantumvis corrupta vox, ſi compendia ſcripturae in codicibus uſitata in auxilium advoces, non magno negotio optimam lectionem praebebit:

πολλαὶ δ' ἀταλαῖς χερσὶ καλύπτρας
κατερεικόμεναι μαῖαι γονάδες
διαμυδαλέοις δάκρυσι κόλπους
τέγγουσ', ἄλγους μετέχουσαι.

Μαῖα enim ſecundum Heſychium matris honorifica appellatio eſt. Idem etiam alterum vocabulum, ex hoc ipſo fortaſſe loco ſumptum, tuetur: γονάδες, μητέρες. Et ita hic locus ſimilis fiet iis, quae ſupra dicta erant v. 64.

τοκέες τ' ἄλοχοί θ' ἡμερολεγδὸν
τείνοντα χρόνον τρομέονται.

Caeterum in eamdem coniecturam incidit, iuſſus a me ipſe videre, quid lateret in illa codicis Viteb. lectione, unus ex iis, quorum hic vitae ſubiiciuntur, Chr. Tr. G. Hildebrandus, iuvenis optimae indolis.

IOAN-

IOANNES HENRICVS EICHMANN.

Hunc Regiomontii Ioannes Theophilus, mercator celeberrimus, ex Maria Ludovica, e gente Mayorum, ſuscepit unicum a. cIↄIↄccLXXVIII. quumque eum mercaturae deſtinaſſet, litteris et artibus ad eam rem utilibus in ſchola urbis publica probe inſtitutum, quamvis eum animus potius ad naturae perſcrutationem ferret, tirocinio apud ſe exacto, propria taberna inſtructum dimiſit. Sui iuris factus, otium obſervandae naturae, librisque legendis impendit, patre parum probante: quo a. h. ſ. VII. mortuo, venditis ſua patrisque tabernis, magno ſtudio litteras amplexus, effecit, ut a. XI. Academiae Albertinae adſcriberetur. Ibi philoſophiae Poerſchkio, hiſtoriae philoſophiae Lehmanno, hiſtoriae Boruſſicae Hennigio, phyſicae et chemiae Hagenio maiore, philoſophiae naturali Lodero, anatomicae et phyſiologiae Kelchio, phyſiologiae, therapeuticae, pathologiae Remero ducibus operam dedit. Inde totum ſe tradidit phyſicae, chemiaeque, et eius ad pharmaciam applicationi: quarum doctrinarum ſtrenua tractatione nobis ita eſt commendatus, ut ei honores noſtros conferremus.

CAROLVS AVGVSTVS HAASE.

Natus Fribergae Cal. Ian. a. cIↄIↄccXCII. patre Carolo Friderico, ferramentorum ad tractandam rem metallicam neceſſariorum fabro, matre Ioanna Eleonora e gente Engleria, patre, vix ſeptimo aetatis anno exacto, orbatus, ſedula matris cura gaviſus eſt. Aliquanto poſt vitricum nactus Benjamin Zimmermannum, qui ad hunc usque diem paterno eum amore amplectitur,

plectitur, per hunc effectum dicit, ut litterarum ſtudiis ſe dedere poſſet. Ita ad decimum usque annum Uhligius ac Schlegelius, affines, religionis et litterarum elementa domi eum docuerunt: poſtea gymnaſium patrium, et initio quidem ſelectas ſcholas Diethrichii frequentavit, elapſis autem aliquot annis intereſſe ſcholis publicis coepit, in numerum alumnorum claſſis III. receptus, et Flathium, quem pie veneratur, praeceptorem nactus ac ducem fideliſſimum. Reliquis deinceps claſſibus adſcriptus, eumdem Flathium, et Schellium, deinde Hechtium in Graecis, Biedermannum in Hebraicis, Schubertum, nunc Norimbergae docentem, in Gallicis litteris doctores habuit. A. h. ſ. IX. a Beckio in cives noſtros receptus, hiſtoriam a Weisſio et b. Wenkio, philoſophiam a Wielandio, Platnero, Krugio, b. Caeſare, iurium cognitionem a Bienero, Hauboldo, Weisſio, quorum in ſe prolixum animum gratiſſima mente agnoſcit, porro a Keeſio, Müllero, Iunghanſio, bb. Tillingio atque Erhardo accepit. Patronos ac ſtudiorum duces laudat etiam Ill. Kori, ſupr. provocat. Senatus Dresd. aſſeſſorem, Salzmannum, qui Fribergae litterarum ſtudiis vivit, et Wagnerum, paſtorem Langhennersdorfii meritiſſ. Triennio annoque dimidio in hac litterarum univerſitate transacto, praeſide Rauio publice disputavit, et non multo poſt examinibus, et quod pro Candidatura, et quod rigoroſum dicitur, ſuperatis, venia iura docendi uti coepit.

CHRISTIANVS FRIDERICVS SIEDEL.

Patrem habuit Io. Guilielmum, Oberneſſae prope Leucopetrum ludimagiſtrum, matrem e gente Faberia ortam: ex quibus natus a. ſ. ſ. LXXXVIII. quum res adverſas fortiter ferre pater eum a primis annis docuiſſet, poſt in ſchola cathedrali Numburgenſi per novem annos et inſtitutione optima, et eximia magiſtrorum benevolentia ac liberalitate gaviſus eſt. In his praecipuos habet Wernsdorfium, et, quorum alter nunc Fribergam, alter Regiomontium ornat, Gernhardum et Krau-

ſium.

ſium. Inde ad Academiam acceſſit, valde de vita toleranda ſollicitus, quum pater ob ſenectutem munere decedere cogeretur. Nihilominus, victum ſibi pueris inſtituendis parans, acri ſtudio theologiam, philologiam, et philoſophiam amplexus eſt, praeceptoribus, quorum humanitatem et liberalitatem magnopere laudat, Roſenmüllero, b. Wolfio, Tittmanno, Beckio, Schotto, et Caeſare, cuius auxilio factum eſt, ut, quum per biduum omnibus rebus neceſſariis deſtitutus de diſceſſu cogitaret, non modo ſtatim ſublevaretur, ſed etiam poſtea, adiuvante ſimul Roſenmüllero, ſtipendio Riviniano augeretur. Ab eodem Caeſare ad capeſſendum magiſterium excitatus, quum Seniores gentis Carpzovianae ſtipendium Groſſianum ei tribuere decreviſſent, iam ante triennium conſequutus eſſet hunc honorem, ſi Senioribus illis, alteri maxime, ad litteras, quibus non modo candidatus, ſed etiam procancellarius identidem flagitabant, ut exhibendo, quod requirebatur, documento Senatui Lipſienſi ſolvendae pecuniae poteſtatem faceret, vel verbo reſpondere commodum fuiſſet. Itaque ſupremi Senatus eccleſiaſtici decreto non ſolum Siedelius tandem ſtipendio potitus, ſed ſimul cautum eſt, ne poſthac longa gentis Carpzovianae Seniorum otia candidatis magiſterii pauperiem facerent.

CHRISTIANVS THEOPHILVS GVILIELMVS HILDEBRANDVS.

Natus eſt Portae a. MDCCXCI. patre Chriſtiano Hildebrando, verbi divini ibi miniſtro ſcholaeque collega extraordinario; matre Carolina Auguſta e gente Oehmia: quos optimos parentes matura morte ſibi ereptos dolet. Puer decem annorum traditus eſt Kraftio, ſcholae Dondorfienſis Rectori, quem adhuc pie colit. Adſcriptus deinde ſcholae Portanae, Ilgenium, Iohnium, Schmidium, Langium, Fleiſchmannum, Gernhardum, et Schmidium, avunculum ſuum, quem alterum ſemper patrem exiſtimavit, non modo praeceptores habuit, ſed etiam patronos et amicos ſibi fuiſſe praedicat. Anno aetatis XVIII. Lipſiam ſe

contulit

contulit rectore Beckio. Vbi quum per duos annos theologorum, historicorum, et philosophorum scholas frequentasset, Vitebergam discessit. Interfuit ibi non sine fructu per annum scholis maxime Deubneri, Lobekii, et Scheuii. Reversus inde Lipsiam, philologiam, quam semper caeteris doctrinis praetulerat, denuo amplexus est, obstrictum se significans mihi, Schaefero, et Beckio, qui eum in Seminarium Reg. recepit. In consequendo honore Magisterii ab Ordine nostro adiutum se esse stipendio Henriciano gratus profitetur.

GVILIELMVS KRITZ.

Hic ita scribit: Natus sum Lipsiae a. cIɔIɔccxciii. d. XXIII. Ian. patre Christiano Guilielmo, supremae curiae publicae Protonotario et matre Augusta Ludolphina, e gente Kastenia, quibus superstitibus gaudeo. Nondum decimum annum agentem parentes scholae Donndorfiensi commiserunt, ubi mihi per quinque semestria institutione rectoris Kraftii, cuius vere paternus in me erat animus, frui contigit. A. h. s. V. in scholam Portensem abii, ibique per quinque annos lectionibus clarissimorum praeceptorum interfui. Rectore Kuehnio a. X. theologiae operam daturus, civibus Academiae Lipsiensis adscriptus sum. Ducibus usus in theologia Beckio, Keilio, Tittmanno, Tzschirnero, in philologia Hermanno, in philosophia Krugio et Wendtio, in historia Wielandio et b. Dippoldio, hos omnes optime de me meritos esse grato animo profiteor. Tribus annis exactis, catecheta ad aedem St. Petri in hac urbe lectus sum, et examine superato confirmatus. Ad consequendum magisterium stipendio auctus sum liberalitate S. R. Ravii.

CAROLVS

CAROLVS HENRICVS GODOFREDVS TAENZER.

Natus Lipsiae a. cIↃIↃcccxcɪ. patre Io. Godofredo, orbiculorum vestiariorum textore, nuper febrium contagione exstincto, matre Anna Maria, e gente Meisſneria, multas huius urbis commoditates sibi contigisse dicit. Nam quum primam institutionem in schola Wendleria, multum ei favente b. Dykio, accepisset, a. h. s. III. studia litterarum amplexus, in schola Nicolaitana b. Schneiderum, Schenkium, b. Heldium, Beringerum, Lunzium, et Forbigerum magistros habuit, quos quum omnes eximie laudat, tum maxime Lunzium, et, cuius ingenium doctrinamque sibi plurimum profuisse dicit, Forbigerum, nec non Seidlerum praedicat. Per singulas deinceps classes huius scholae ab amplissimo Senatu stipendiis auctus, a. X. Tittmanno rectore, ad Academiam accessit, ubi in philosophia Krugium, Clodium, Wendtium, in philologia Beckium et me, in historia Beckium, eumdemque in theologia, et quidem perpetuo, simulque Keilium et Tittmannum, a quo in societatem theologicam receptus est, Rosenmüllerumque, et Tzschirnerum duces habuit. Ex pluribus, quos patronos invenit, aliquos, in primis Meisſnerum, avunculum, qui eum paterno amore amplexus est, morte sibi ereptos dolet. Stipendiis se adiutum esse ab Rege nostro, ab Senatu huius urbis, ab Academia, a qua Thomasianum accepit, ab Ill. Hommelio, gratus refert: in primis autem Hauboldi, qui eum filiis suis ex parte instituendis praefecit, tantam in se benevolentiam et humanitatem esse dicit, eam ut digne laudare nequeat. Hic et Gaudlitius eum stipendio Severiano ornarunt, quo magisterii dignitatem consequi posset.

GOTTLOB AVGVSTVS SCHWERDTFEGER.

Lucem vidit Soraviae a. sup. s. XC. ubi initio a parentibus, Io. Gottlob, carpentario, et Sophia Dorothea, e gente Schilleria, sedulo educatus, deinde scholae ophanotrophei commissus, post

 aliquot

aliquot annos in Lyceum patrium receptus eſt. Ibi per ſeptem annos et inſtitutionem et favorem Reichenbachii, Leiſneri, Rüſferi ſibi contigiſſe, grata mente praedicat. A. h. ſ. X. a Tittmanno civibus noſtris adſcriptus, philoſophiam Krugio, Platnero, Wendtio, Clodio ducibus tractavit; in philologia Beckium, Schaeferum, et me, in hiſtoria Beckium et Wielandium, in theologia Tzſchirnerum, Krügerum, b. Meiſsnerum, Keilium, Tittmannum; Beckium, Roſenmüllerum, patrem, et filium, in geographia Kruſium, in prudentia paſtorali Bauerum, in paedagogice Lindnerum ſequutus eſt, quibus omnibus ſe obſtrictiſſimum eſſe ſignificat, laudans etiam Arndtii liberalitatem, a quo in petitione magiſterii ſtipendio adiutus eſt.

CAROLVS FRIDERICVS THEODORVS KORNMANN.

Hic ita ſcribit: Natus ſum Croeſſulnae, in pago Leucopetrenſi, d. XVI. Ian. a. ſ. ſ. XC. patre Chriſtiano Friderico, qui eſt a ſacris Croeſſulnenſium, et quem adhuc ſuperſtitem mihi gratulor, et matre Concordia Sophia, e gente Weidemannia, quam praematura morte mihi ereptam lugeo. Iam tenera aetate mihi contigit praeceptor domeſticus Boerner, qui nunc ſacris eccleſiae Groſsgotternenſibus praeeſt. Huius ſaluberrima inſtitutione imbutus in ſcholam epiſcopalem Cizenſem me contuli, ubi per ſexennium et quod excurrit Müllerum, Siebeliſium, nunc decus gymnaſii Budiſſenſis, Kieslingium, Gelbrichtium, Rebſium, et collaboratores Wiedemannum, qui iam Cizae ſacra ad aedem D. Stephani adminiſtrat, et Daehnium, magiſtros et patronos colui, ſemperque colam. Praeter ſcholas publicas privata quoque inſtitutione Weidemanni, avunculi, cui tum cura liberorum gentis Perilluſtris de Mandelsloh commiſſa erat, et qui iam a ſacris Kleinjenenſibus eſt, gaviſus ſum. Scholae curſus proſpere emenſus a. h. ſ. X. Academiam Lipſienſem adii, et a Tittmanno civium academicorum numero adſcriptus, in philoſophia Platnerum, Krugium et Wendtium; in philologia Beckium

ckium et Hermannum; in hiſtoria Beckium et Wielandium; in theologia Roſenmüllerum, Keilium, Tittmannum, Tzſchirnerum, et Beckium magiſtros de me meritiſſimos habui. Singulari autem pietate mihi ſemper colendi erunt Tittmannus, qui non ſolum in ſocietatem theologicam me recepit, ſed multa etiam favoris atque patrocinii in me documenta edidit, et Wendtius, qui inſigni ſemper benvolentia me amplexus eſt. Inſigni Gedickii humanitate mihi contigit, vt in numerum eorum, quorum cura et opera in liberis civium huius urbis inſtituendis verſatur, reciperer. Ad conſequendos autem magiſterii honores partim Hentſchii, archidiaconi Grimmenſis, qui hunc ipſum in finem apud ampliſſimum philoſophorum ordinem ſtipendium depoſuerat, partim inclitae nationis Miſnicae liberalitate me adiutum eſſe, grato animo profiteor.

FRIDERICVS GOTTLOB BOEHME.

Natus a cIↃIↃcclxxxvii. patre Arone, collegii metallici, quod Fribergae eſt, apparitore, matre Ioanna Chriſtiana, e gente Hofmannia, elementis literarum et religionis imbutus eſt ab Vlbrico praecentore ad aedem D. Petri, deinde privatim ab Hornio, nunc Lipſiae in ſchola Senatoria gratuita doctore. Inde receptus in gymnaſium patriae urbis, praeceptoribus uſus eſt Merbetho, Rothio, Meinerto, Fiſchero, Flathio, Schellio, et Hechtio. Aerumnoſam vitam agenti, triſtiorem diuturno oculorum morbo, intra paucos annos mater paterque morte erepti ſunt, relictis in ſumma egeſtate X. liberis. Ibi Hechtius, tunc Rector, tanta benevolentia curam eius ſuſcepit, eius ut numquam ſe immemorem futurum dicat. A. h. ſ. X. civibus noſtris adſcriptus a Tittmanno, philoſophiae cauſſa Caeſarem, Clodium, Krugium, et Platnerum; theologiae Tzſchirnerum, Keilium, Tittmannum, et Roſenmüllerum adiit, praeterea ſcholis uſus Wielandii, Krügeri, Plüſchkii et Beckii. Per hoc tempus Senatus Fribergenſis liberalitate pluribus ſtipendiis, Regis clementia convictorio, aliis beneficiis a b. de Praſſe, denique

denique ad consequendum magisterium stipendio heredum Belianorum, cuius collatio nunc erat penes uxorem Wielandii, adiutum se dicit, gratissimum his fautoribus animum significans.

CAROLVS GOTTLOB GVNDEL.

Hunc natum in Ioannis Georgii villa a. s. s. LXCII. pater, qui oppido Consul praeerat, Troegero, AA. M. et ad aedem urbis Pastori, eum concessit, simulque educandum tradidit praeceptoribus patriae scholae publicis. Inde litteras ingenuas amplexus, ducibus magistris Lycei Schneebergensis, e quibus Schulzius, tunc ibi collega tertius, nunc Polenzii sacris praefectus, sponte eum in domum suam recepit, primusque adolescentem amore litterarum imbuit: cuius viri memoriam semper sibi sanctam fore dicit. Mortuis paulo post parentibus, Schaarschmidtius, tunc Rector Lycei, paterno amore curam eius suscepit. Quo per IV. annos rectore studiorum et amico usum, quum Lipsiam venisset, Keilius, commendatione Wahlii, AA. Mag. et apud Schneebergenses Pastoris Primarii scholaeque Inspectoris, ad interiorem consuetudinem admisit, quem virum, cuius doctrinam admiratur, patrocinium autem, nuper quoque collato ob magisterium stipendio declaratum, veneratur, in exegesi, dogmatica, et ethica, Tittmannum in symbolica et theologia morali, Tzschirnerum in historia ecclesiastica duces habuit: nec neglexit scholas philosophicas Platneri, Krugii, Clodii, historicas Wielandii, philologicas Beckii et meas.

CAROLVS GVSTAVVS LVDOVICVS RIEDEL.

Hic ita: Natus sum Wesnigii a. cIↃIↃcccxcIII. parentibus M. Christiano Ernesto Henrico, verbi divini ministro, et Henrietta Charlotta, e gente Wincleria; quos, quamvis temporum calamitatibus valde debilitatos, tamen adhuc superstites gaudeo. A prima aetate litterarum amore flagrans, paterno exemplo incitante,

tante, Tryckii curae traditus ſum, qui me ita formavit, ut aliquot annis poſt alumnis ſcholae provincialis Miſnenſis adſcriberer. Ibi per quinque annos praeclara inſtitutione optimorum praeceptorum frui mihi contigit; praeter quos in primis praedicandus eſt Klugius[1], Sacrorum ad D. Afrae antiſtes et linguarum orientalium Profeſſor, qui me intima ſua familiaritate haud indignum cenſens, paterno ſemper amore amplexus eſt. Quinquennio elapſo Lipſiam me contuli, rectore Hauboldo, ubi cum animum ad theologiam maxime applicuiſſem, in interpretandis litteris ſacris Keilium, Beckium et Krügerum praeceptores habui; in philoſophia b. Brehmii, Platneri, Krugiique ſcholis uſus ſum; philologiae Beckio duce operam dedi; theologiam ſymbolicam Tittmannus, dogmaticam Tzſchirnerus mihi tradidit, quibus omnibus ac ſingulis gratum animum ſignifico. Hermanno, qui in conſequendo magiſterii honore ſtipendio me adiuvit, et omnino plura benevolentiae ſuae in me documenta exhibuit, debitas ago gratias.